



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

Decollatio S. Ioannis Bapt. 29. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

DECOLLATIO S. IOANNIS BAPT.

29. Augusti.

Natalitias hoc die Herodes epulas dedit, quas rectius funebres vocabimus. Aut enim nullas, aut istas sol fugit, quas sanguine humano heu! nimium nobili crudelitas condivit. Nam cum ad reliquas mensæ illecebras filia etiam accessisset, & saltu leviculo terram plausisset, ecce tibi præmium pedes caput maximi vatis IOANNIS abstulerunt. Nec satis erat, per mensam tam delicatam ferculum ambulare, & oculorum gulæ facere satis. Extraxit conjux adultera palato suo linguam (illam gratissimam Suadeæ sedem) & mille nunc convitiis, nunc acu mille locis fodit scelestæ. Sed profectò pessimè acu rem tetigit. Nunquam enim magis viva etiam crudelitatem Regis, quàm tunc fuit locuta, & meritò deinde divinum VERBUM loqui tyranno renuit, cuius vocem decollaverat. Ipsa saltatricula pœnas si seras, serias certe luit, quando astrictas gelu aquas transiens, ruptâ sub pedibus impiis glacie, abscindendū crustis caput dedit, etiam tunc portentosum in modū subsiliens, & choreas, quibus viva assueverat, mortua etiam continuans, manifestum omnibus mortalibus documentum, quàm non multo saltu opus sit, ut in

Hh 2 orcum

orcum devolvamur. At dicet nonnemo, ergone odiosam pede calcare terram non liceat? imò verò calcanda illa est, & pede utroque, sed graviore, & cui cælum non orcus arrideat. *Ex Baron. & Martyrol.*

S. BONONIVS A. B. 30. Augusti.

Optima Philosophiæ pars est mortis meditatio; hæc BONONIVM puerum mundo mori docuit, quâ quidem morte ad vitâ nihil est salubrius. Hinc Ægypti deserta petiit tantamque sanctorum civium frequentiam invenit, ut in solitudinem urbes, in urbes solitudinem diceres migrasse. Ipse totam Ægyptû concionabundus obibat Christoque longè plurimos jungebat, mercatores præsertim, quibus tempestate aliquando jactatis post preces fusas solem & cum sole fidei lucem ostendit. Ob id cum Alexandria in summo honore jam esset, iterum Ægypti intima petiit. Hic illi lectum cælum, cubile terra, culcitra ciliciû, cervical lapis fuit. Huic etiam invigilabat potius quam indormiebat; quò mollius tamen jaceret, lectulum hunc suum lacrimis quotidie lavabat. Verùm è privato hoc pulvere extractus in arenam à Petro Vercellensi Antistite, cui unâ cum pluribus aliis capto libertatem apud barbarum Regē exoraverat, Cœnobitis Lacedænisibus